



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 91. Articuli in Decreto contenti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. vit Decretum, quo immortales Deo gra-
A. C. 1444. tias egit, quod post unionem Græco-
 rum, & conversionem Jacobitarum, tan-
 dem etiam Syri Ecclesiæ Romanæ de-
 nuo aggregari exoptarent, subditque, se
 nonnullos Cardinales, & Doctores Con-
 cilio delegisse, qui cum præfato Archi-
 episcopo Abdala de erroribus illius Na-
 tionis conferrent, ab his quoque eum fu-
 isse inventum de fide, & moribus per
 omnia recte sentientem, tribus duntaxat
 exceptis Articulis.

§. XCI.

Articuli in Decreto contenti.

Concernebant illi Processionem Spiritus
 Sancti, duasque in Christo naturas
 ac totidem in illo voluntates, & opera-
 tiones, de quibus, cum plene edoctus fuisset
 Archiepiscopus, catholicam quoque in
 iis contentam veritatem cum summa de-
 missione professus est. Postea subjungit
 Decretum, quod idem Eugenius Papa sa-
 cro approbante Concilio, rectam Fidei de
 iisdem Articulis Formulam eidem Archiepi-
 scopo tradiderit declarans, Spiritum San-
 ctum ex Patre, & Filio æternaliter esse, &
 essentiam suam, suumque esse subsistens ex
 Patre simul & Filio, & ex utroque, tan-
 quam ab uno principio & unica spiratione
 procedere: Dominum Jesum Christum per-
 fectum

fectum esse in Deitate, & perfectum in Humanitate; atque in duabus Naturis, inconfuse, incommutabiliter, & indivise agnoscendum, non in duas personas divisum, sed unum & eundem Dei & Hominis Filium. In eodem Christo Domino, vero Deo, & vero Homine, duas esse naturales operationes inconfuse, & indivise, duas etiam naturales voluntates, unam divinam, alteram humanam, non contrarias, sed humanam subjectam Divinæ: humanam ejus voluntatem Deificatam esse, non peremptam, sed salvatam magis atque perfectam, in proprio sui statu & ratione semper permanentem.

§. XCII.

Conventus Norimbergensis.

Mense Novembri, præstituto tempore Norimbergæ habitus est Imperii Principum Conventus. Cumque Verdenensis Episcopus Burgundiæ Ducis Orator magnopere suadere conaretur, ut Imperator repudiata neutralitate Eugenio Papæ adhæreret, placuit Friderico, ut inprimis ipse quatuor Viros suo nomine, quilibet vero Elector duos, & alius quivis Princeps unum seligerent, qui auditis Eugenii ac Felicis Oratoribus, eorumque rationibus utrinque ponderatis providerent, nequid Respublica Christiana detrimenti pateretur, sed firma ac

Sæcul. XV.

A. C. 1444.

Æn. Sylv.

87. in fin. &

comm. lib. I.

Æn. Sylv.

ep. 65. & 71.